



DEO MAXIMO SACRUM!
 DE
**ABRAHAMITI-
 CA DIEI CHRISTI
 VISIONE**

Ex Joh. VIII. 56.

DISSERTATIO THEOLOGICA
 PRIOR,

QVAM

In Regiâ Pomeranorum Universitate,
 Venerabili Facultate Theologicâ suffragante,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Reverendi maximè, Amplissimi & Excellentissimi

**DN. ANDREÆ DANIELIS
 HABICHHORSTII,**

S. THEOL. DOCTORIS ET ACADEMIÆ
 ROSTOCH. PROFESSORIS PUBL. CELEBERRIMI,

Dn. Præceptoris ac Patroni sui ætatem summè devenerandi,

publice placideq; collationi Academicæ

in Auditorio Majori

ad d. 7. Febr. 1681. hor. antemerid.

scripsit

AUCTOR

DAVID MALACHIAS Siebenhaar/
 Magdeburgensis.

GRYPHISWALDIÆ

Typis MATTHÆI DOISCHERI, Acad. Reg. Typogr. Anno 1681.

Venerandis
ECCLESIAE MAGDEBURGENSIS
ad D. ULDARICUM & LEVINUM
DOMINIS
SENIORIBUS, PATRONIS
& PROVISORIBUS,

VIRIS
*Magnificis, Generoso, Nobilissimis, Consultissimis, Prudentissimis,
Amplissimis, Spectatissimis & Integerrimis*

DN. STEPHANO LENTKEN/ }
DN. OTTONI à GVERIKEN, }
DN. GODOF. CHRISTOPH. Steinackern/ J. U. D.

Inclitæ Reip. Magdeb.
CONSULIBUS
gravissimis.

Ejusdemq; Reip. Senatori, ut & laudatorum DNN. Se-
niorum ad D. Uldarici & Levini Syndico
æstimatissimo,

DN. ERNESTO KRAMERN/ }
DN. JOACHIMO BRUNOW/ }
ibidem Senatoribus
dignissimis.

DN. PETRO KINDEN/ }
DN. JOHANNI SCHLÜTERN/ }
DN. FRIDERICO BINGERN/ }
DN. JOHANNI-GEORGIO DIETSCHEN/ }
DN. JOHANNI THIEMANN/ }
DN. HEMPONI MEYERN/ }
DN. HENNINGO SIEVERT/ }

Reip. Magdeburg.
Octoviris similibusq;
Officiis Politicis ma-
ximè conspicuis.

Dominis Patronis, Fautoribus, Evergetis & Promoto-
ribus Observandissimis & honoratissimis
Salutem, Observantiam &
Officia!

*Magnifici, Generose, Nobilissimi, Prudentissimi, Consultissimi
& Spectatissimi Domini!*

BInis jam vicibus Vestras compellavi Amplitudines & Dignitates: primâ quidem scriptum exhibendo Juridicum, Helmstadii Anno 1673. publicè editum; alterâ verò scriptum aliquod Juridico-Theologicum, justissimas mutati studii rationes ex Theologia & Jurisprudencia deductas, breviter exponens. Nunc tandem dicterii illius memor: *Omne trinum perfectum*, tertiâ etiam vice Vestras pulso fores, materiam offerendo merè Theologicam in quadam Disputationum biga, de *Abrahamitica Diei Christi Visione*, sub præsidio Dn. D. *Habichhorstii*, Professoris Rostochiensis, in Regia Academia *Gryphiswaldensi* habitarum. Cùm enim laudatus jam Professor, negotiorum causâ memoratam modò Academiam, Rostochiensi vicinam, invisere constituisset, non potui non Eundem (quippe cujus hætenus informatione fidelissima in Collegiis, Theologico nempe Disputatorio & Ebraico Rostochii fueram usus) concomitari, & occasione commoda sic ferente, Specimen hoc geminum ibidem edere: id quod etiam DEO benedicente ac providente, laudata jam Academia Gryphica statim remunerari collatione gradûs Philosophici, sponte sua fuit dignata. Hoc verò ipsum Specimen geminum, ut Vestris inscriberem Nominibus, Vobisq; offerrem, Viri Gravissimi & honoratissimi, plurimæ profectò rationes me moverunt, quas inter haut judico postremam, constantem illum Favorem Vestrum, quo Venerandum Parentem meum, Vestræ ad D. Uldaricum & Levinum Ecclesiæ Symmystam, prosequimini, cujusq; favoris participem me esse dignamini. Accipite ergò serenâ, qua soletis, fronte tertium hoc debitæ in Vos meæ cùm observantiæ, tum gratitudinis argumentum, DEOq; sollicitis precibus meis *למנו* fusis fundendisq; commendati diu incolumes salviq; superstite. Scribebam Gryphiswaldiæ die 19. Febr. 1681.

*Magnif. Nobiliss. Amplitud. & Spectatiss.
Dignitatum Vestrarum Cultor
Obsequiosissimus*

M. DAVID MALACHIAS Siebenhaar.

*Clarissime Dn. Mag. Siebenhaar quondam Legum Cultor
optime, Amice fraternè colende,*

Sic curis solers egisti tempus, & omnis
Gloria TE meritum condecorare potest.
imo debet:

*testantur hoc egregia specimina, applaudunt omnes,
Boni & ego gratulor merito*

NICOL. MICHAELIS, J. U. D. & Camerar. Gryph.

Qui sacrum Themidis Nectar libare solebas,
Pectore nunc avido cœlica verba sitis,
Perge Viam cœptam: rumpantur ut ilia Momo,
Eusebien Merces, Vita salusq; manet.

*Clarissimo Dn. Respondenti, Disputationis Autori,
Convictori suo longè dulcissimo Mentem Deo
dicatam gratulari, omnigenamq; benedictio-
nem apprecari voluit*

M. HERMANNUS Becker / Inf. Mathem. P. P.
& Pastor Jacobæus Rostochiensis.

Post geminum specimen Te Gryphica sponte Magistrum,
Me socio studii promeritiq; gradus,
Dum jubet esse, decet, Comes optatissime, tantum
Gratari decus & sollicitare DEVM,
Ut tua propediem conamina sacra coronet
Ulteriùs, studiis exbileretq; PATREM!

M. ENGELBERTUS BRONNERUS, Ecclesi-
astes Otterndorfio - Hadelensis.

FAUTORI meritas persolvam carmine laudes,
Aptaboq; meos in piâ metra modos,
Si mihi sit tempus, si sitq; occasio promata;
Egregiis capiam concinuisse choris.

*Cui plura debebat, Clarissimo Dn. Mag. Siebenhaar / Fautori atq;
Amico suo candidissimo, pauca hæcce boni ominis ergo dare, no-
vosq; honores ex animo gratulari, ac benevolam sui memoriam
commendare voluit, Ipsius integerrimus*

M. GEORG - CHRISTOPHORUS LEMMIUS, Rugian.





כְּעֵר

DE
ABRAHAMITICA DIEI CHRISTI VISIONE
PROLOQUIUM.



Vantum fuerit desiderium, quod certè ad Θεάνθρωπον Messiaë sive SEMINIS BENEDICTI, primis jam parentibus in Paradiso promissi, adventum agebat meritò, qui veteri debebant foedere fideles, sacra passim Scriptura testatur. Sanè ipsa πρωτόμυθη Eva suo jam tempore tenerrimo adventus hujus urgebatur desiderio, quando Cainum pariens, suamque fidem in Messiam, futurum non tantum **איש** s. virum-hominem, sed etiam **יהוה** s. DEUM, adeoque Θεάνθρωπον professa, in hac erumpebat verba: **אני אחזיק בו** i. e. possedi Virum **בן יחובאח**. Idem quoque in genere de Regibus & Prophetis testatur ipse Christus Luc. X. 24. dicens: *Multi Prophetae & Reges cupiverunt videre, quod vos videtis &c.* In specie verò de ABRAHAMO, credentium Patre, ita meminuit Servator apud Johannem c. VIII. 56. *Αβραάμ ὁ πατήρ ὑμῶν ἠγαλλίασατο, ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν, καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη.* Exultavit Abraham Pater vester, ut videret Diem illum meum, & vidit & gavisus est. Quod ipsum Oraculum de Abrahamitica diei Christi visione, cum illustri-ssimum amplissimumq; differendi argumentum exhibeat, adeoq; tum industriam tum pietatem queat exercere, enixius hac vice, sanctā **καθεδραλία** consideraturi geminaq; sectione tractaturi, quarum I. genuinum sistet oraculi SENSUM

A

... **αὐτὸς ὁ θεὸς** *fals*

falsasq; ejus interpretationes refellet, II. Orthodoxum loci USUM
proponet, simulatqve Heterodoxum ejus ABUSUM vindi-
cabit, conamini nostro סופר מחר עט caelitus precamur.

SECTIO. I.

sistens

GENUINUM ORACULI SENSUM

MEMBRUM I.

evolvens

dicti occasionem et visionis subjectum.

§. 1. Occasionem huic Oraculo s. testimonio de
Abrahamica diei Christi visione præbuit acerrima Servato-
ris cum Judæis disceptatio, in qua certè Judæi officium &
honorem Christi impugnantès, inter alia sic opponebant:
Tunc Patre nostro Abrahamo major es? v. 53. Quam Judæorū
objectionem Servator diluturus, seq; majorem longè Abra-
hamo esse, imo & ante Abrahamum extitisse ostensurus,
publicè testabatur, *Abrahamum gestisse diē suum videre, imò
& vidisse, & gavisum fuisse, q. d. Vos in Abrahamo tantoperè
gloriamini, sed Abraham in me maximoperè fuit gloriatus
& benedictionis s. beneficii divini per me omnibus gen-
tibus obventuri, magnitudinem desideravit, eaq; prævisā
gavisus est: Igitur tanto major sum illo, quem quidem ve-
strum Patrem quoad carnē concedo, sed vos virtutis & fidei
ejus sectatores nego: quod si verò tales essetis, etiam vos cum
Abrahamo in me exultaretis, memetq; videntes gauderetis.*

§. 2. *Subjectum* exultantis hujus desiderii & visionis
diei Christi est *Abrahamus* qui promissionem hanc ha-
bebat: *כל משפחת הארמה נברכו בכך* Gen. XII. 3. XVIII.
18. *In te benedicentur omnes familiae terrae i. e. בורעך in semi-
ne tuo s. Messia,* prout exponitur Gen. XXII. 18. XXVI. 4. Et
cap. XXIX. 14. conjungitur *בך & בורעך in te & semine
tuo* Conf. Act. III. 25. 26. Gal. III. 14. 16. Hac igitur promissio-
ne inductus Abrahamus exultavit, ut diem promissi hujus
seminis videret.

§. 3.

§. 3. Antequam verò hanc ejus exultationem exponamus, circa nomen ABRAHAMI notare lubet (a) errare illos, qui id ipsum interpretantur *περάτην* h. e. *transitorem*, & *περάτην μέλειωρον*, *transitorem excelsum*: quem errorem præter *Hesychium* aliosque erravit etiam *Chrysoſtomus*, illustrissimum alioque Ecclesiæ lumen, homil. 36. ita scribens: *Αβραάμ γὰρ περάτης ἐρμηνεύεται κατὰ τὴν Εβραίων γλῶτταν, καὶ τὸ ἰσάσιμ, ὅσοι τῆς γλῶττης ἐκείνης εἰσιν ἔμπειροι*: putatque Parentes Abrahami, *transitus* ejus in Canaan prælagos, nomen hoc eidem imposuisse: Ubi & proluxâ disputatione, quærit, unde parentes ejus illam habuerint præscientiam, cum fuerint infideles. Ceterum *γλῶττης Εβραίων ἔμπειροι* (ut citatis jam Chrysoſtomi verbis utar) noverunt, Hebræum Abrahami nomen non habere *עבר* per *ע*, adeoque non esse ab *עבר* *transit*, sed *אבר* per *א* ab *אב* pater & *ר* *excelsus*, adeoque confundere illos *אבר* cum *עבר* quo aliàs nomine Abrahamus insignitur Gen. XIV. 13. quodque à dicta est Rad. *עבר* *transit*: Unde communiter illud *עבר* Gen. XIV. 13. redditur *περάτης* i. e. *transitor*, Germ. *Ausländer*: quamvis rectiùs vertatur *Ebraeus*, quomodo Gen. XXXIX. 17. *העבר העברי* rectè à B. Luthero redditum est: *Der Ebreische Knecht*: Est enim *עבר* nomen gentile à Patriarcha *Ebero*, Gen. X. 21. XI. 14. seqq.

§. 4. Deinde circa *mutationem* quoque Nominis hujus *Abrabami*, quam legimus descriptam Gen. XVII. 5. notandum venit, errare *Justinum* qui statuit, nomen Abrahami esse mutatum, inserto uno *a*: Etenim Græcâ Scriptura *Αβραάμ* imposuit Justino: Siquidem in Hebræo est *אברהם* insertâ literâ *ה*, sumta ex nomine *המון*, quod *multitudinem, turbam, copiam, tumultum* significat à R. *המה* *tumultuatus est*: Ex quo etiam nomine, nomen *Saræ* conjugis Abrahami *שרי* mutatum in *שרה* Gen. XVII. 15. ad-

ditā sc. eadē litera ך, quæ nomini Abrahami accessit, ex vo-
 ce שׂרָה vel literā in ך mutata, ut sc. idem esset utrobiq;
 earundem promissionū Symbolum: sicut enim *Abraham*
multarum gentium pater, sic etiam *Sarah* futura erat *multa-*
rum gentium mater: Siquidem hanc mutationis utriusque
 rationem ipse DEUS subjungit Gen. XVII. 5. & 15. Unde & il-
 los errasse patescit, qui nomen *Sara* mutatum putarunt in-
 fertā literā ρ, quibus certē imposuit Græca versio τῶν LXX.
 qui locum citatum Gen. XVII. 15. ita reddunt: ἐκληθήσεται τὸ
 ὄνομα αὐτῆς Σάρα, ἀλλὰ Σάρρα ἔσται τὸ ὄνομα αὐτῆς. Unde &
 mirè se torquent interpretes, quærendo, cur litera ρ inserta
 nomini Saræ. Ineptiunt certē, qui putant, literā illā ρ deno-
 tari annum Abrahami centesimum, quo filium ex Sara no-
 nagenaria generavit. Sed audiamus hac de re ipsius *Hiero-*
nymi Judicium, qui in *Quæstionibus*: *errant*, inquit, *qui pu-*
tant primū Sara per unum R fuisse scriptum, & postea ei alte-
rum R additum. Et quia R apud Græcos centenarius numerus
 est, multas super hoc nomine suspicantur ineptias: cum utiq; non
 græcam, sed Ebræam debeant habere rationem. Ebræum enim
 est. Nemo autem in altera lingua quempiam vocans etymologi-
 am vocabuli ex altera sumit.

§. 5. Ceterum de Subjecto hoc sive Abrahamo tria
 hic prædicantur 1. quod exultaverit, ut videret diem Christi 2.
 Quod viderit illum diem. 3. quod viso die Christi fuerit ga-
 visus: Unde & tria hic præcipuè veniunt evolvenda: 1. ante-
 cedens visionis, quod est exultatio. 2. visio ipsa. 3. visionis con-
 sequens, quod est gaudium.

MEMBRUM II.

exponens.

VISIONIS ABRAHAMITICÆ ANTECEDENS.

§. 1. Antecedens visionis est exultans desiderium.
 Vox enim græca ἠγαλλίασαι το, significat exultavit h. e. exultan-
 do desideravit videre diem Christi, tanquam feminis bene-
 dicti,

dicti, sæpiusculè locis supra §. 2. citatis, promissi, Metaphorâ
ab iis sumptâ, qvi gestu & motibus exultantium ostendunt,
se maximoperè aliquid desiderare atqve optare. Quomo-
do & Maria mater Christi in hymno suo: ἠγαλλίασε, inquit,
h. e. *exultavit Spiritus meus in DEO salutari meo*, Luc. I. 47.
& Johannes adhuc βρέφους ἐν τῇ κοιλίᾳ ἐν ἀγαλλιάσει in exultatio-
ne subsiliit ibid. v. 44. Ut adeo ἀγαλλίασις Abrahami, non i-
psum sit gaudium, qvòd visionem diei Christi est consecu-
tum, sed exultans desiderium lætabilis thesauri, qvòd visio-
nem antecessit.

§. 2. Ceterùm hic quæritur, annon aliquod antece-
dentis hujus *exultationis* vel desiderii *vestigium* in historia
Abrahami à Mose descripta extet? Nobis ergo responsuris
hic adduxisse locum sufficiat Gen. XVII. 17. ubi Moses de A-
brahamo post auditum DEI de mutando Conjugis ejus no-
mine mandatum, & post additum de Filio ex Sarah suscipi-
endo & gentibus Regibusq; ex eadem oriundis promissâ
hæc recenset: וַיִּפֶּל אַבְרָהָם עַל פְּנָיו וַיִּצְחַק & *procidit A-*
braham super faciem suam & risit h. e, gavisus est. Ita enim
Lutherus ipse in enarr. Gen. XVII. fol. 92. verba interpreta-
tur: *ridet*, inquit, & *letatur Abrahamus*, ac postea ex hoc ipso
risu & hoc spirituali & ineffabili gaudio inditur nomen Filio.
Quomodo etiam Rad. צחק de gaudio s. congratulatione ac-
cipitur Gen. XXI. 6. ubi Sarah filium יצחק s. Isaacum ab
hac ipsa Radice צחק ita appellatum, felicissimè enixa dicit:
וַיִּצְחַק לִי אֱלֹהִים כֹּל הַשְּׁמַע יִצְחַק לִי h. e. *Risum*
fecit mihi DEUS, omnis qui audiverit, ridebit mihi h. e. gau-
debit mecum vel exultabit mecum, vel congratulabitur
mihi. Hunc igitur Abrahami gestum risumq; exultationis
hujus, s. exultantis desiderii argumentum signumve fuisse,
sic satis probabile videtur. Suffragatur nobis D. Lyserus
in Trifolio Religionis V. T. §. 19. Ubi dicit: *Sicut Abra-*
hamus ex fide ante diem Christi cum aliis Prophetis Luc. X. 24. vi-

tere non sine exultatione optaverat, dum ad acceptam promissionem RIDET Gen. XVII. 17. ita nunc cum gaudio videt. Quod si verò Lyserianum illud non suffecerit suffragium, ecce etiam ipsius Megalandri Lutheri! ita verò ille in enarrat. Gen. XVII. fol. 92. Quod Abrahamus in terram cadit & ridet, est, sicut Christus Job. VIII. 56. exponit, gestus animi exultantis & exuberantis gaudio. Ita Lutherus! Quid verò clarius dici afferiq; pro nostra posset sententia?

§. 3. At verò dices: Præcedens divina promissio Gen. XVII. 16. quæ risum hunc in Abrahamo excitavit, merè fuit corporalis: quippe quæ filium tantum & gentes & Reges ex Sarah pollicetur oriundos; feminis verò benedicti, sive Messiaë mentionem nullam habet. Igitur & risus ille Abrahami exultantis hujus desiderii, diem Christi videndi, signum vel argumentum esse nequit. Verum (ut neq; hinc nostris, sed ipsius Lutheri verbis, quæ l. c. leguntur, respondeamus) observandum præcipuè hoc est, quod hæc promissiones includunt ipsum Christum, imò æternam vitam, & si non de Christo, sed de Isaaco videantur loqui. Ideo Paulus in Romanis addit, scripta hæc non propter Abrahamum, sed propter nos credituros Abrahæ exempla. Nam promissio temporalis est ceu nux, quæ tegit nucleum s. Christum & æternam vitam. Pergit idem Lutherus ibid. Ideo ridet & letatur, ac postea ex hoc ipso risu, & hoc spirituali & ineffabili gaudio inditur nomen Filio & vocatur Isaac, ad perpetuam memoriam & monumentum æternum tam pulchræ, firmæ & certæ fidei, quod ad hanc vocem, vix dum emissam à Domino, tanto gaudio sanctus Vir impletur. Et post pauca: Ridet & exultat, quod nunc demum certus est, se Patrem, Sarah autem matrem fore JESU CHRISTI FILII DEI, per quem salus & benedictio toti terrarum sit adventura.

§. 4. Præterea quoq; notabilis illa Nominum Abrahæ & Saræ mutatio, quam paulò antè Memb. i. §. 4. exposuimus, quamq; DEUS eodem cap. XVII. Gen. v. 5. & 15. proxime

mè

mè ante hunc Abrahami risum vel exultationem seqv. v. 17. descriptam imperavit, simulq; promissio ibidem v. 6. & 16. annexa, & mutationis hujus rationem exponens, quod sc. *Abrahamus pater & Sarah mater multarum gentium & Regum futuri essent*, tacitè hanc Messiaë s. Benedicti seminis mentionem includunt: Regum enim ex Abrahamo Saraq; nascendorum maximus erat Messias: ad multitudinem quoq; gentium ex iisdem proditorum nos omnesq; gentiles in CHRISTUM credentes pertinemus, quia seqvimur vestigia fidei Abrahami, Rom. IV. v. 12. adeoque filii Abrahami per fidem in Christum semen Abrahami sumus Gal. III. ult. c. IV. 28. Cùm igitur tam nominis mutatio, quàm annexa de Isaaco nascituro, & gentibus Regibusque ex Abrahamo & Sara prodituris promissio implicite promissionem de Messia benedicto Abrahami semine comprehendat, hinc etiam risus vel gaudium Abrahami non de solo erit Isaaco verum etiam & præcipuè quidem de Messia nascituro,

MEMBRUM III.

evolvens,

IPSAM VISIONEM,

PUNCTUM. I.

exhibens

Visionis Objectum

§. I. Viso antecedente Visionis Abrahamiticæ, consideranda quoque venit ipsa *Visio*, cujus notandum hinc tum *Objectum*, tum *modus*. *Objectum* Visionis Abrahamiticæ est *dies ille Christi*. τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν, ait h. 1. Servator h. e. *diem illum meum*, articulo sc. geminato; quod genus dicendi (notante Beza in Johann.) uni penè Evangelistæ nostro placet, & sanè elegans est, & interdum ἐμφατικώτερον, quàm si simplex pronomen ἐμὴν usurpetur. Ceterum quid per *diem Christi* intelligatur, interpretes hinc disquirunt. Nonnulli de illo die exponunt, qui nullo finitur crastino, nul-

lo prevenitur besterno, qui nescit ortum, nescit occasum b. e. de ipsa eternitate, in qua filius coeternus est Patri. Verum hæc sententiâ à mente Christi & contextu abludivit. Rectius ergo Chrysostomus in cap. 8. Joh. hom. 14. p. 222. Theophylactus in enarrat. Joh. c. 8. fol. 1333. Ambrosius & alii de tempore vel die crucis & passionis Christi, quem viderit Abraham, cum arietem inter vepres cornibus detentum vidit. Rectissime tandem alii (quibus etiam nos ad stipulamur) diem Christi metonymicè de adventu Messie in Carnè sc. Eius incarnatione, passione, morte & resurrectione interpretantur. Hæc enim Abrahamus videre desideravit: quia desiderabat videre salutem & benedictionem in semine suo h. e. Christo promissam, Gen. XII. 2. 3. &c. Hæc autem benedictio, redemptio sc. remissio peccatorum &c. morte, passione & resurrectione FILII DEI fuit acquisita. Eph. I. v. 3. 7. Cum autem merus DEUS pati & mori non possit, consequenter etiam incarnationem Christi desideravit & vidit, eademq; ad diem Christi referenda erit. Unde etiam hæc dies Christi Ebr. 1. 7. dies carnis Christi appellatur.

§. 2. Quod verò tempus & temporis pars, e. c. hora, dies, annus per metonymiam pro rebus in tempore factis sc. existentibus (uti h. l. dies Christi pro incarnatione, passione, morte & resurrectione ejus in tempore factis) frequenter usurpentur, neminem nisi in scripturis S. hospitem fugere potest. Ita adventus Christi in carnem dicitur dies magna Malach. IV. 5. & desolatio urbis Jerusalem dicitur dies Domini, dies tenebricosa &c. Joël. II. 1. 2. Conf. Glasius Rhet. Sacr. Tract. 1. c. 4. n. 3. p. 59. Paul. Tarnovius Comment. in Johann. ad h. l. p. 737.

§. 3. Alii vero diem hic tempus vel spatium, quo Christus in hoc mundo vixit per Hebraismum vocari arbitrantur. Ita Beza in N. T. Ex Hebraismo Jom Palmomi i. e. dies alicujus, nihil aliud declarat quam spatium, quo vixerit a-

li-

liquis, aut insigne quippiam ipsi vel facere vel ferre contigerit,
quæ res notior est, quàm ut testimonio egeat. Dies ergo Domi-
ni nihil aliud significat, quàm ipsius adventum in carnem. Et
Cornel. Jansenius in Tetrateucho ad h. l. rejectâ illorum
sententiâ, qui per diem Christi *Æternitatē* ejus intelligunt,
quam paulo antè citavimus, sic pergit: *Sed verisimilius est,*
per Hebraismum, diem Christi vocari tempus, quo vixit mor-
talis in hoc mundo, quod Abraham videre desideravit.

PUNCTUM II.

exponens

VISIONIS MODUM,

Variasq; de hoc modo sententias recensens.

§. 1. Ab objecto visionis Abrahamiticæ progredimur
ad modum, qui maximè est controversus. Quatuor verò
præcipuè modos hîc interpretes nominare, deq; illis di-
sputare siveverunt. Ita enim inter alios Paul. Tarnovius
Comment. in Joh. ad h. l. n. 18. *Quæritur, inquit, quomodo*
Abraham viderit diem Christi, num fide, an per figuras & typos,
an revelatione quadam peculiari & Spiritu Prophetico, an de-
niq; vere ipsâ? Et ibidem respondet, primam sententiam esse
omnium communissimam: secundam & tertiam suos quoq; au-
tores habere; quartam placere Maldonato &c. Ceterum si
distinctiùs interpretum sententias consideraverimus, quin-
tus etiam modus videtur esse addendus sc. *peculiaris appari-*
tio, quem B. Tarnovius sub tertio comprehendere videtur
sc. sub peculiari revelatione & Spiritu Prophetico.

§. 2. Qui primam tenent sententiam, quod sc. Abra-
hamus oculis fidei diem Christi viderit, hunc esse dicti sen-
sum, contendunt, q. d. Christus: Abrahamus acceptâ se-
minis benedicti promissione lætus fuit in omnibus etiam
calamitatibus suis, eò quod crederet in carne me quondam
redimendi generis humani gratia compariturum, & quia
firmiter hoc credidit, ac si ipsis oculis suis vidisset impletum,

B

propterea

propterea summo gaudio affectus est. In hunc ferè sensum explicat locum *B. Chemnitius* Harm. c. 103.

§. 3. Secunda verò, quæ Abrahamum *in figura & typo* hunc diem Christi vidisse dicit, sc. *in Filio Isaaco immolando & ariete* pro eodem mactato (uterque enim typum Christi gessit) inter alios placet *Frospero* l. i. Prædict. c. 7. *Diem passionis Filii DEI vidit Abraham in filio suo figuratū: quod unico filio non pepercit, quod veluti ad aram crucis triduo cum infanti victima convolavit, quod patiens ac sine voce similis agno coram tondente se, Filius Patri, ut percuteret pia colla præbuit, quod aries cornibus in vepre detentus spinis coronatum Christum ostendens pro Isaaco immolandus apparuit, quod ideo Isaac immolatus non est, quia resurrectio Filii DEI servata est. Hæc omnia credens Abraham videre meruit per figuram. Quò etiam collimare videntur Chrysostomus, Theophylactus Irenæus & alii.*

§. 4. Nonnulli verò, cum tria hic de Abrahamo referantur, quod 1. *exultaverit*, ut videret diem Christi, 2. eundem *viderit*, 3. visione hæc *gavisus fuerit*, arbitrantur Filium DEI singulare quidde Abrahamo Credentium Patre voluisse referre & indigitare, Abrahamum non tantum *fidei oculis* inque *figura* vel typis, sed etiam peculiari modo diem Christi vidisse: sc. *in peculiari apparitione vel revelatione & visione Spirituque Prophetico*: quæ omnia ad tertium visionis hujus modum referre videntur interpretes. Nobis hic sententia eorum, qui visionem hanc de *peculiari apparitione* interpretantur distinguenda videtur ab illorum, qui eandem de *peculiari revelatione Spirituque Prophetico* accipiunt, uti ex dicendis patebit.

§. 5. Inter illos verò, qui *peculiari apparitione* Christum ab Abrahamo visum esse profitentur, præminet *Glasius*, qui in *Rhet. Sacr. Tr. i. c. 4. n. 3. p. 59. vidit*, inquit, *peculiari apparitione*, At verò in specificanda vel determinanda

nanda peculiari hac apparitione interpretes variant. Alii illam ad peculiarem apparitionem *sub quercu Mamre* Gen. XIX. referunt, dicentes, Abrahamum tunc Filium DEI in comitatu Angelorum sub forma assumta humanitatis vidisse. Quæ sententia est *Hieronimi & Gregorii*, item *Job. Feri* in Coment. ad h. l. p. 222. & *Job. Cocceji* in Joh. affirmantis, Abrahamum vidisse majestatem Filii, cum tres videret & unum alloqueretur, & *Poli* in Crit. Sacr. ad h. l. dicentis, *in hac apparitione exhibitum ei specimen quoddam diei Christi fuisse, qui tunc præluserit incarnationi suæ, cum ipso prandens, comedens, ambulans, familiariter colloquens &c. qui honos alii nulli in V. T. indultus legatur.* Quamvis idem ibidem in præcedd. in illorum quoque sententiam inclinare videatur, qui visionem hanc Abrahamiticam ad apparitionem peculiarem in monte *Morijah* factam, pauloque post memorandam, referunt: dicit enim, *Abrahamum non sine magno gaudio tunc maxime vidisse diem Christi, cum fiducia suæ in DEUM hoc premium retulit, quod Isaacum quasi è mortuis recepit* Ebr. XI. 19.

§. 6. Illorum verò majorem esse numerum deprehendimus, qui visionem hanc ad apparitionem in monte מוריך s. *Morijah* referunt, vel Abrahamum eo tempore, diem Christi vidisse arbitrantur, quo *Angelus Domini* i. e. *Filius Dei* εὐαγγελιστὴς in monte *Morijah* cum ipso fuit collocutus, & ipse primò filium mactare suum, dein verò arietem offerre vicarium fuit jussus Gen. XXII. Huc enim inter alios tendit *D. Lyserus* in trifolio veræ Religion. V. T. p. 39. ubi inquit: *Cum Abrahamus Isaacum immolaturus esset, sicut ex fide ante diem Christi videre optaverat cum aliis Prophetis* Luc. X. 24. *non sine exultatione, dum ad acceptam promissionem videt* Gen. XVII. 17. *Ita tunc cum gaudio videt.* Quamvis in proximè seqq. cum hac apparitione peculiarem revelationē seu visionem Propheticam jungat, de quo deinceps pluribus agendum. Conf. seq. §. 8. & 9.

§. 7. Peculiarem hinc fovet opinionem *Petrus Cunaus*
 l. 3. de Rep. Ebr. c. 3. dum visionem hanc Abrahamiticam,
 refert ad apparitionem vel potius historiam *Melchisedeci*,
 statuitq; hunc Abrahamum vidisse diem Christi, cum ipsi
 occurreret Melchisedecus. Supponit verò Melchisede-
 cum fuisse *ipsum DEI FILIUM* olim in carnandū, Regemq;
 simul & Sacerdotem futurum, adeoq; nomen מלכי-צדק
f. Melchisedeci & vocem מלך *f. Salem*, cuius Rex dicitur
 Melchisedek, appellativè accipit, per illorum vestigia du-
 ctus, quibus olim absolum adeò non fuit visum, Melchi-
 sedeco naturam tribuere divinā: ex quibus nonnulli per
 Melchisedecum intelligunt *DEI Filium*, quorum senten-
 tiam tacito eorū nomine recenset *Epiphanius* hæres. 54. alii
 verò *Spiritum S.* à defensore quodam huius opinionis
 (quem *Epiphanius* hæres. 67. *Hieracem* vocat) appellati
Hieracite, quorum sententiam acerrimè tueri conatur
Autor Questionum V. & N. T. & quidem quæst. 109. quæ
 extant Tom. 4. Operum Augustini, & Scriptor ille *Ano-*
nymus, quem *Hieronimus* quidem damnat Epist. 126. ad *Eva-*
grium; *Cunaus* v. loc. cit. p. 425. commendat, quemq; ipsū
 fuisse illum *Autorem Questionum V. & N. T.* jam jam citatum
 non temerè suspicamur cum *Pererio*, Comment. in Gen.
 p. 539. b. Ne quis verò de mente *Cunæi* dubitet, ipsa ejus
 adscribere verba haut pigebit: *Existimamus*, inquit l. c. p.
 406. *Filium DEI cum in via Abrahamo occurreret, eum vul-*
tum eumq; habitum corporis sibi sinxisse, quem postea gessit
in terris, atq; hoc illud esse, quod Apostolus ait Ebr. VII. 3.
Ἰωάννης ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ h. e. assimilatus Filio DEI. Et p.
 seq. 407. *Neq; aliò, inquit, pertinere mihi videtur, quod scri-*
ptum à Johanne est: Abraham gestiit videre diem meum &
vidit: id enim uni contigit Abrahamo, & singulare quiddam
fuit, cum de ceteris illud dicatur: multi Propbeta & iusti cupi-
verunt videre &c.

§. 8. Sed relictis his apparitionibus cum veris tum fictis, lustrare etiam modum peculiaris revelationis s. Visionis Spiritusve Prophetici, qui nonnullis hic arridet, adlubescit. Et hanc sententiam, quæ nobis quarta videtur, amplectens *Frantzius* de interpr. Script. Orac. 47. nemo, inquit, dubitet, *Abrahamo oblatam & exhibitam in divina visione fortissimam, fuisse personam & faciem Filij DEI, prout natus fuit ex Virgine Gentis Abrahamitice crevit, ministerio miraculorum defungi cepit, à passione exaltatus fuit ad dextram Patris &c.* Eadem ferè verba *Polus* habet in Crit. Sacr. ad h. l. recensens varios visionis hujus modos. Placet quoque hæc sententia laudato supra *Lysero* in Trifol. citato, qui præterea hanc revelationem peculiarem vel visionem hanc in spiritu Prophetico tunc factam censet, cum Abrahamus filium suum in parabola ex mortuis reciperet, & ab Angelo audiret, tum Isaacum non debere holocaustum pro peccato esse, tum in semine ipsius benedictionem esse expectandam. Sed ipsa ejus verba juvat recitare: Ita enim post illa, quæ membro præced. §. 2. adscriptimus, pergit: *Illius sui voti (quo sc. ex fide, non sine exultatione, diem Christi videre optaverat) licet non eâ ratione compos factus fuerit, ut diem carnis Christi Hebr. V. v. 7. oculis simul corporeis & spiritualibus, seu Apostoli, videret; cum tamen tunc in parabola filium ex mortuis reciperet Ebr. XI. 19. & ab Angelo audiret, non filium Isaacum esse debere pro peccato holocaustum; arietemque vicariam holocaustum offerret, audiret porro in semine ipsius benedictionem contra peccatum expectandam, utique spiritu Prophetico diem Christi h. e. rem promissam & complementum peculiariter quasi fide vidit & merito gavisus fuit.*

§. 9. Eandem quoque sententiam de revelatione s. Spiritus Prophetico amplectitur *Jos van Laren* in suis 52. concionibus p. 412. dicens: Abrahamo visionem s. revelationem hujus diei Christi obvenisse, cum de monte Morijah cum

filio Isaaco reverteretur, DEUMq; tunc peculiari revelatione & cœlesti visione (qualis olim Jesaiæ c. VI. Joh. XII. 41. aut ipsi antea Abrahamo contigit Gen. XV. 1. ubi dicitur verbum DEI ad Abrahamum venisse $\text{בְּמַחְוֵה עֵינָיו}$ h. e. *in visione*) oculos cordis & intellectus aperuisse, & sine velamine ipsi manifestasse, Messiaë vitam per triduum iri cum morte commutatum, sicut Abraham illis diebus, cum ad montem Morijah tenderet, summo mœrore quasi mortuus fuerit; & sicut Isaaci humeris lignum Sacrificii fuerit impositum, ita quoq; Messiaë lignum crucis esse imponendum & ad locum Sacrificii ab ipso portandum; eademq; verba, quæ ex filio suo tunc audiverit Abraham: mi Pater v. 7. Messiam olim in monte oliveti paulo antè immolationem prolaturum esse: Sicut porro aries cornibus inter vepres detentus fuerit, proq; Isaaco mactari debuerit, ita quoq; Messiam spinea coronâ incessurum, proq; toto genere humano esse mactandum, &c.

§. 10. Ab his deniq; omnibus recedit Jesuita *Maldo-*
natus, prout supra §. 1. ex B. *Tarnovio* in h. l. annotavimus, *realem* hîc statuens, *visionem*, qua sc. *Abrahamus* mortuus ex *revelatione* noverit, quod tempus, adventui & incarnationi *Christi* divinitus constitutum, fuerit exactum, & ipse factus sit homo: id enim putat, verbis *Christi* doceri, dicentis: *exultavit Abraham, ut videret diem meum, & vidit &c.* quæ verba ita interpretatur vel potius depravat: *cupivit, ut veniret dies meus, & venit* (pro eo, quod *Servator* dicit, *vidit*) & *gavisus est*. Non verò *Maldonatus* tantum, Professor olim *Parisiensis*, quem B. *Tarnovius* l. c. allegat, sed alii quoq; *Pontificij* in *Commentariis* ad h. l. *realem* hîc statuunt *visionem*, dicentes, *Abrahamum* adhuc temporis in limbo suo constitutum, ex *Simeone Justo*, *Zacharia* & *Elisabetha* defunctis, vel etiam Angelis, quod *Messias* in carne esset exhibitus, rescivisse. Ita enim *Jodocus Clichtovæus* (qui itidem fuit Professor *Parisiensis*)

ensis) in supplemento Cyrilliani in Johann. Commentarii
l. 6. c. 11. sententiam suam exposuit: *Missam facimus hanc tria*
superius adducta, dicentes, Abrahamum vidisse diem Domini,
quando jam in placida Sanctorum requie positus cognovit, Fi-
lium DEI esse incarnatum: erat enim ille dies Domini, quo car-
nis nostrae substantiam pro nobis assumpsit. Et id quidem cog-
novit Abraham completum esse, per testificationem Justi Sime-
onis, qui post Dominum susceptum in ulnis requievit in pace,
Et intimavit sanctis patribus eum natum. Aut per denunciatio-
nem Angelorum, sanctos Patres visitantium saepius, Et, quae con-
solationem eis afferrent, spemque propinqua liberationis presta-
rent, benigniter ipsis significantium. Cum itaque editus est in
mundum virgineo partu Dominus noster, quis addubitaverit
Angelos antiquis illis Patribus annunciasse Salvatoris ortum,
sicut Et in terris nunciaverunt pastoribus. Haec tenus Clichto-
væus, cui ad stipulatur Sebast. Barradius in harm. ad h. l. Cor-
nelius à Lapide ad l. c. & alii Pontificiorum. Adamus verò
Conzenius in eo ab iisdem abit, quod hunc modum, realiter
sc. vel re ipsa diem Christi videndi, cum Maldonato aliisque
non opponit prioribus jam expositis, nempe visioni, quæ fit
oculis fidei, in typis & figuris, item peculiari apparitione &
spiritu Prophetico, sed iisdem jungit.

§. II. His interpretum sententiis jam enumeratis,
ad alia progressuri deque recensitis iudicium laturi, aliam
adhuc sententiam apud Jesuitam *Franciscum Toletum*, nobis
dum hæc scribimus, communicatum, reperimus, quam
non possumus non superioribus annectere, priusquam
hinc transeamus. Arbitratur vero *Toletus*, visionem hanc
diei Christi, factam esse per revelationem temporis determi-
nati adventus Christi, quod tempus & diem scire summo-
perè desideraverat Abrahamus. Ita autem verba eius ha-
bent Comment. in Joh. ad h. l. *Dies hic incarnationis est,*
quando Verbum DEI, Filius homo factus est. Noverat ex di-

vin

vina revelatione Abraam, DEI Filium carnem sumturum de
sua progenie; at summoperè desiderabat, scire tempus & diem
quando hoc futurum erat: id DEUS ei aperuit, & tunc gavi-
sus dicitur. Pro hâc vero sententia sua laudat suffragium
Irenæi & Augustini, horumque interpretationem, tanquam
accommodatiorem, sese in Commentario secutū esse, dicit
his verbis: *Augustinus Tract. 43. diem incarnationis exponit,*
qui ei est per revelationē manifestatus, nempe tempus determi-
natum adventus ejus. Hanc interpretationem adhibet Irenæus
l. 4. c. 15. adjungens c. 16. his verbis significari, & Abraam,
& omnes Prophetas, qui revelationem adventus ejus habuerunt,
ab ipso met Verbo venturo in carnem accepisse. Hanc in Com-
mentario secuti sumus interpretationem, & accommodatior vi-
detur: adventus enim ejus in carnem, principium est omnis gra-
tie divine hominibus collatae & dies exultationis totius universi.

PUNCTUM III.

ferens

Judicium de recensitis modò variis sententiis vel
modis Visionis Abrahamitica,

&

Apparitionem Gen. XXII. commendans, ad

illamq; nonnihil observans.

§. I. Si quis verò nostrum jam de hismet sententiis
modisve judicium requirat, paucis rem expedituri dicimus,
tertiam nobis quartamq; de visione per apparitionem pecu-
liarem & revelationem peculiarem Spiritumve Propheticum ri-
dere, ita ut primam & secundam de visione per fidem & figu-
ram vel typum non excludamus, sed supponamus, & quin-
tam Toletitoleremus vel includamus; ultimam verò Ponti-
ficiam de visione reali in limba Patrum factam, tanquam hete-
rodoxam, seq. puncto repudiemus. Ulterius verò quærenti,
ecquid de apparitionibus illis peculiaribus Gen. XIX. &
XXII. & XIV. supra puncto præced. §. 5. 6. & 7. recensitis, ha-
ben-

bendum, respondemus, illorū nos eligere sententiam (si quā fuerit eligenda) qui visionem hanc referunt ad *illustrissimā illam eamq̄, ultimam, in monte Morijah* Abrahamo factam, apparitionem Gen. XXII. cum probatissimus noster Patriarcha ad mandatum Angeli Domini, Angeli increati **הַמַּלְאָכִים** *Angeli illius fœderis Mal. III. 1.* **פְּנֵי יְהוָה** *Angeli faciei DEI Es. LXIV. 9.* Filium quidem suum immolare proponeret, verūm mox eundem ejusdem jussu ex mortuis reciperet, ejusque loco arietem in vepribus detentum mactaret simulque repetitionem de benedictione in semine suo Christo contra peccatum expectanda audiret.

§. 2. Neque enim frustra Apostolus ad Ebr. XI. 19. oblationis hujus mentionem habens scribit: Abrahamum filium suum (qui sc. in corde ipsius jam erat mortuus) recepisse *ἐν ὁμοιωσει* h. e. in *similitudine vel typo*, Luth. **zum Sürbilde**, Conf. Ebr. IX. 9. ubi Tabernaculum prius V. T. dicitur fuisse *ὁμοιωσει*, *similitudo vel typus* tabernaculi perfectioris N. T. Unde conjicimus, tunc Abrahami intellectum fuisse illuminatum, vel peculiariter ipsi visione, vel Spiritu Prophetico revelatum, quod Isaacus immolandus **בְּנֵי אַבְרָהָם** h. e. filius ejus unicus, quem diligebat Gen. XXII. 2. unigenitus Ebr. XI. 17. ariesque Filii loco mactatus, *typi* sint Messiae, vel quod *similiter* aliquando Messias, semen illud benedictum, Filius DEI unigenitus & dilectus Joh. I. 14. III. 16. 18. Matth. III. 17. ex Patribus secundum carnem oriundus, cetero qui *ἐπὶ παντὶ ὄρει εὐλογητὸς εἰς τὰς αἰῶνας*, Rom. 9. v. 5. cujus diem videre exultando desideraverat Abrahamus, lignum crucis ad sacrificium in ipso illo monte Morijah (Conf. paulò post dicenda) sit quidē portaturus, & patientissimè, præmissâ licet voce querula: *mi Pater*, si possibile est &c. passurus, Conf. Gen. XXII. v. 7. 9. pro nobis nostrisque peccatis sicut aries vice Isaaci v. 13. in ligno crucis mactandus, spineâ coronâ, sicut aries ve-

C

pri-

pribus v. 13. circumdandus vel coronandus; tamen è mortuis post triduum, sicut Isaac v. 13. recipiendus Ebr. XI. 19. ut adeo noster hïc & fide, per singulare obsequium manifestata, & in typo expresso, & in peculiari apparitione, & in peculiari vel Prophetica revelatione Spiritus Prophetico diem Christi viderit.

§. 3. Quid? quod illam ipsam *ἡ ὄρος Βολῆ*, quæ Abrahamo in illo sacrificiali actu peculiari vel Prophetica revelatione videtur fuisse monstrata, non parùm illustrat ipsius *Loci* vel *Montis* מריה f. *Moriah consideratio*: siquidem mons ille *Morijah* (in quo filium suum unicum, què diligebat, iussu divino immolare Abrahamus volebat, sed mox in typo recipiebat) posterioribus temporibus intra ipsius urbis *Jeruschalem* mœnia conclusus, conf. 2. Par. III. v. 2. & unà cum aliis quibusdam collibus illud ipsum fuit spatium, cui *Urbs Jeruschalem* innititur, ubi *Messias unigenitus & dilectus Dei Filius*, cujus typum teste Apostolo ad Ebr. XI. 9. *Isaacus Abrahami filius unicus & dilectus* gerebat, lignum crucis portavit, passus, crucifixus, mortuus & resuscitatus est: Unde & urbs illa *Jeruschalem* nominis sui priorem syllabā יהו *Jru* à nomine, quod Abrahamus monti huic *Morijah*, recepto *ἡ ὄρος Βολῆ* filio suo, indidit sc. יהוה יראתו *Dominus videbit* Gen. XXII. 14. accepit, cùm olim nudè *Salem* fuerit appellata, Ps. 76. v. 3. Siquidem etiam alterum illud montis hujus nomen מריה l. c. Gen. v. 2. expressum, & à quo tota regio nomen *Morijah* accepit, ex nomine illo יהוה יראתו *Dominus videbit* fabricatum (sc. remotè;) proximè verò ex his מראתו יהוה *apparet Dominus*, factum esse, non dubitamus. Unde & Latinus interpretes verba Domini Gen. XXII. 2. לך לך אל ארץ המריה i. e. *abi tibi in terram illam Morijah*, reddit: *abi in terram visionis*: quamvis in eo sit culpandus, quod nomen DEI יהוה annexum voci מריה neglexerit &c. Licet ergo Abrahamus voti sui non ita

COM

compos fuerit factus, ut oculis simul corporeis & spiritualibus, sicut Apostoli Luc. X. 21. diem carnis Christi videret; tunc tamen, cum filium suum ex mortuis in parabola reciperet &c. utique diem Christi vidit, non tantum fide & in typo, sed etiam in peculiari apparitione & revelatione prophetica, parabolam s. typum illustrante.

§. 4. Antequam verò hinc ad improbandas Interpretum nobis hic adversantium sententias abeamus, non possumus non h. l. *Ἐξ Φυαδινῶς* notare illos, qui in isthaec *Ἐξ Βολῆς* s. typo & visione Abrahamitica justo longius progrediuntur, pauloque antè expositis parabolæ & visionis Capitibus haut contenti, *manifestum quoque crucis Christi typum in erecto vel sublato vel pendente inter vepres hirco observant, & singularem fuisse fruticis speciem, ex quo pependit aries, Sabec dictam, eamque juxta Hebræos remissionem & condonationem vel liberationem notare animadvertunt.* Ita enim *Ambrosius de Abrahamo c. 8. Hoc est, quod apparuerit Abrabæ revelans futuram sui passionem corporis, qua mundum redemit, demonstrans etiam GENUS PASSIONIS, cum SUSPENSUM ostendit CORNIBUS arietem. Virgultum illud patibulum crucis est.* Et *Athanasius quæst. 98. ad Antiochum: planta inquit, SABEC est veneranda Crux, juxta Hebræos videtur Sabec remissio esse & condonatio. Aries vero, qui in Sabec hærebat ad plantam, figuravit Christum, pro nobis in cruce immolatum.* Et *Procopius: SABEC species fruticis est, ex quo PENDENS aries CRUCIS formam præ se ferebat extensione pedum.* Ulterius hic progreditur animadvertio *Leonis Cæsarii l. 6. Apologetici & ad cap. XXIX. Jesaiæ, dicentis Christum verbis istis: ΕΛΙ ΕΛΙ ΛΑΜΑ ΣΑΒΑΧ ΔΑΒΙ, h. e. Deus mi, Deus mi, cur me dereliquisti, ad eandem plantam Sabec allusisse, ut indicaret, se esse illum arietem pendentem atque suspensum ex arbore Sabec, quam Dominus sub typo alterius arietis pendentis ex planta Sabec Abrabæ olim ostenderat. Verbum enim Sababani à nomine Sabec inflexum videtur,*

§. 5. Ceterum observationes illæ omnes, quæ ab-
 rante nitantur versione, vel ex linguæ sanctæ ignoratione
 proficiscantur, gratis afferuntur. Fons enim ita habet: וַיִּרְאֵ
 בַקֶּרְנוֹ בְּסִבְךָ נֹאחַ אַחַר אֵיל וְהִנֵּה אֵיל h. e. *Et vidit, Et ecce*
arietem retrò detentum in perplexitate cornibus suis. Cum
 verò LXX. h. l. ita reddiderint: καὶ ἰδὼς κερὸς εἰς κληχόμενος
 ἐν φυτῷ σαβὲκ τῶν κερῶν h. e. *Et ecce arietem detentum in*
virgulto Sabek cornibus suis. Vulgatus verò hoc modo: *vi-*
ditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus:
 Hinc veteres aliique fontem consulere non valentes, ty-
 pum crucis & similia exsculperunt. Duo autem hic no-
 tentur i. in Græca τῶν LXX. vox σαβὲκ, & in vulgata vox
hærentem. Neutra respondet fonti, adeoq; omnia his ver-
 sionibus superstructa corruunt inque fumum abeunt. Pri-
 mo enim vox בְּסִבְךָ, quam LXX. reddunt ἐν φυτῷ σαβὲκ,
 quasi illa singulare virgultum *Sabec* notaret, significat *per-*
plexitatem s. *densitatem* sc. veprium vel ramorum vel ar-
 busti. Rectè Luth. *in der Hekken.* Est enim à Rad. סִבַּךְ *per-*
plexus, condensatus fuit in perplexitatem. Hinc סִבְךָ *perplexi-*
tas, densitas, & usurpatur de perplexitate arborum & densi-
tate sylvarum, apud Jes. IX. 18. c. X. ult. Nahum I. 10. Nullum
 igitur hîc *singularis virgulti Sabec* vestigium, adeoque nec si-
 gnificationi *remissionis* vel *condonationis* vel *liberationis* hîc
 in voce *Sabek* locus datur. Quid? quod ridiculum planè il-
 lud est *Castrii*, Servatorem sc. clamando: *Eli Eli Lama saba-*
stani, ad hoc virgultum *Sabec* alluisse: Hic enim Gen. XXII.
 (ut illud adhuc addamus) in Hebr. סִבַּךְ est κ, vox autem
 σαβαστάνι habet κ. Deinde verò etiam vox נֹאחַ, quam
 Vulgus reddit: *hærentem*, alii vero interpretes §. 4. citati,
pendentem, suspensum, rectius redditur per *detentum*: quomo-
 do hîc LXX. rectissimè κληχόμενος i. e. *detentus*: est enim
 à Rad. נָחַח *apprehendit, apprehensum detinuit, retinuit.*

§. 6. Denique

§. 6. Denique in specie ad sententiam *Toleti*, cum *Ire-*
neo & *Augustino* statuentis Abrahamum vidisse diem Christi,
 ita ut *determinatum adventus vel incarnationis Christi tem-*
pus, quod scire desideraverit, eidem fuerit revelatum notamus,
 non illam simpliciter nobis adversari. Unde illam hinc in-
 cludere possumus, concedentes, fieri potuisse, ut Abraha-
 mus *credens* in Messiam inque *typo* passionem Ejus videns,
 per *revelationem* quoque peculiarem *s. Spiritum Propheti-*
cum non tantum ipsum mysterium Personæ Messiae, ejusque
 incarnationis, passionis & mortis, sed etiam *determinatum*
 incarnationis *s. adventus* ejus *tempus diemque* resciverit, quo-
 modo, teste *Petro* I. Ep. c. I. v. 10. II. 12. *Propheta de futura in*
nos gratia s. adventu Messiae vaticinati, exquisiverunt & scruta-
ti sunt temporis articulum, ad quem significaret Spiritus, qui in
illis erat, a quo etiam revelatum illis fuit. Conf. Dan. IX. v. 24. seq.

PUNCTUM. IV.

rejiciens

FALSAS SENTENTIAS,

Tum Cunei, historiam Melchisedeki ad hanc visio-
nem perperam trahentis;

Tum Clichtovai, Maldonati aliorumque Pontificiorum, de reali
visione, in limbo facta, interpretantium.

§. I. Missis verò his progredimur jam, visuri reliquas
 etiam sententias nobismet adversantes. Ubi primò occur-
 rit rejicienda *Cunei*, putantis, Abrahamum tunc vidisse di-
 em Christi, cum ipsi Melchisedekus Gen. XIV. occurreret,
 וַיֵּצֵא לֶחֶם וַיִּצְרֶה *panem vinumque proferens, in refectionem*
s. militum Abrahami è bello revertentium. Falsò enim
Cunaeus supponit, Melchisedekum fuisse ipsum *DEI Filium*,
eumque sibi vultum & eum corporis habitum finxisse, quem postea
gessit in terris (Conf. supra verba Ejus puncto præced. §. 7.)
 Et hoc sine nomen מלכי צדק h. e. Melchisedeci perperam
 appellativè pro *Rege Justitia*, uti & nomen של Gen. XIV.

ubi dicitur, Melchisedek erat *Rex Salem*, appellativè pro
pace accipit: Nam historiae Mosaicae contextus l. c. item col-
latio Christi & Melchisedeci à Davide Ps. 110. & Apostolo
Ebr. VII. instituta aliæque rationes & veterum auctoritates
talem interpretationem respuunt, probantque in contrari-
um, fuisse hunc Melchisedekum *ὁ φωτισμένος τῷ ἰῷ τῆ θεῶ*
h. e. assimilatum quidem Filio DEI, juxta Ebr. VII. 3. h. e. uti
contextus docet, *figuram typumve Christi Filii DEI gerentem*
(ad cujus similitudinem Christus Rex fuerit & Sacerdos in
æternum) adeoq; non ipsum DEI Filium, sed hominem ali-
enigenā, cujus pater & mater non scribuntur Ebr. VII. 6. Re-
gē Urbis, Jeruschalem, quæ olim dicta est *Salem*, convivio ci-
vili Abrahamum ejusq; milites fessos excipientem simulq;
loci ejus sacerdotem: Quicquid etiam *Molinaus* aliique hy-
peraspistæ Cunnæani hic oggannire non vereantur.

§. 2. Nec minùs à verbis & mente Servatoris ab i-
psaque veritate ablydit sententia *Clichtovæi* & *Maldonati* a-
liorumque Pontificiorum, qui *realem* hinc defendere *visio-
nem*, quæ *Abrahamo in limbo Patrum obvenerit*, conantur. Li-
cèt enim non asseramus, beatas animas, cum in Festo Nata-
litio tota militiæ cœlestis multitudo in terris jubilaret, ab
hoc gaudio in cœlis fuisse planè extorres; inde tamen non
evincitur, Servatorem h. l. testantem, Abrahamum vidisse
diem suum & gavisum fuisse, ad illam s, ab Angelis, sive à
Simeone Justo, factam annunciationem respexisse. Primum
enim neque in hoc neque in aliis scripturæ locis de *limbo* i-
sto *Patrum* vel vola vel vestigium apparet; unde hic *Augusti-
ni* illud obtinet: *Tertium locum penitus ignoramus, imò non
esse in scripturis invenimus*, quæ verba Augustini citat *Bel-
larminus* l. 6. de amisl. grat. & statu pecc. c. 2. §. docent.
Multò minus hoc vel aliis in locis habetur, quod Angeli in
limbum istum descenderint, annunciaturi beatis animis
vel consolaturi Patriarchas. Quod vero Abrahamus non
jam

jam mortuus, sed cum adhuc in his terris vivus degeret, ex-
positis supra modis adventum Messiae in carnem viderit, &
viso illo gavissus fuerit, non tantum litera textus, sed & sub-
sequens Judaeorum exceptio & Christi responsio evincit.
Judaei enim, quibuscum Servator sermones sociabat, haec
Servatoris verba ita accipiebant, quod Christus tum fuerit,
cum ab Abrahamo videretur: id quod ipsismet perabsur-
dum videbatur, quum Christus nondum 50. annos esset na-
tus; Abrahamus vero ante aliquot secula extitisset. Re-
gessit vero Christus absurdum non esse, quod dixisset, sese
Abrahamo *ὄντα*, ut ita loquamur, fuisse: fuisse enim
sese, antequam vel Abrahamus extitisset, sc. quoad divinam
naturam, multo magis igitur ipso etiam existente. Haec
assertio Christi videbatur Judaeis blasphemia, quod se ipse
Deum faceret aeternum: hinc lapides tollebant, ut iisdem
blasphemum caput operirent. Fac autem verborum Chri-
sti illum esse sensum, quem Pontificii hic fingunt, Abraha-
mum sc. in limbo Patrum post mortem constitutum per
aliquot sanctos eodem vel superiore Christi anno defun-
ctos, vel etiam per Angelos rescivisse, Christum esse in car-
ne exhibitum, annon Judaei ineptissime excepissent sequen-
ti versu h. m. *nondum es quinquaginta annos natus & tamen
Abrahamum vidisti*: nec enim opus erat, Christum tot transf-
egisse annos, ut ab Abrahamo in Patrum limbo cognosce-
retur homo natus: Cum & infans bimulus vel trimulus
cognosci ex relatione Angelorum vel Simeonis Justipotu-
erit? Annon ineptius Servator Judaeis excipientibus re-
gessisset: *Antequam Abraham esset, ego sum?* quid enim hoc
ad nativitatem Christi a Sanctis nuper defunctis sive Ange-
lis Abrahamo in limbo Patrum (uti Papistis videtur) annun-
ciatam, adeoque per illam annunciationem ab Abrahamo
realiter visam.

§. 3. Neque

§. 3. Neque hic sententiam Pontificiorum quicquā relevat, quod *Maldonatus* verbum Servatoris: *vidit*, alio permutat verbo: *Venit*, atque ita interpretatur: *cupivit, ut veniret dies meus, venis &c.* Præterquam enim quod Jesuita manifestè depravat textum, redarguitur quoque à Judæis, qui negando Abrahamum à Christo visum, vice versâ negant, Christum ab Abrahamo visum.

§. 4. Nihilominus tamen *Papista* hic excipiunt, contententes, Sensum dicti à nobis suprâ expositi subsistere nō posse, exceptionis verò *Papisticae* summam his proponit verbis *Maldonatus* Comment. in Joh. VIII. §. 130. *Mihi non videtur, quod Christus dicit: Vidit & gavisus est, aut de sola fide, aut de figura vel prophetica revelatione intelligi posse. Cum enim dicit: Vidit, haut dubiū, quin eo modo vidisse dicat, quo videre tantopere dixerat concupisse. Non autē concupiuerat sola fide videre: quia antequam fidem haberet, cum nullā de Christo notitiā haberet, diem ejus videre, concupiscere non poterat; postquam verò habuit, concupiscebatur quidem, at non sola fide, quia fide jam Christi diem videbat. Neque per figuram aut revelationem: quia cū fidem jam certissimam haberet, nec figurā nec revelatione illi opus erat, nec poterant ejus satiare desiderium. Vidit ergo diem Christire ipsa &c.* Ex quibus Jesuitæ verbis tale format argumentum laudatus supra *Tarnovius* Comment. in Joh. ad h. l. *Aut fide, aut figura, aut revelatione peculiari aut denique re ipsa vidit Abrahamus diem Christi: tot enim statuuntur modi hujus visionis. Ast non fide, non etiam figura aut revelatione. E. re ipsa.* Ad quod etiam hunc in modum ibidem respondet: *Resp. 1. assumptionem negamus 2. prosyllogismi membrum primum parte unā alienum est: de Abrahamo enim fideli est quæstio, non de infideli: parte alterā, fallacia cause laborat: qui enim fidem habet ex promissione & rem promissam, ille potest ejusdem complementum ex eadem fide desiderare, & ex promittentis veritate immota certò sperare & quasi videre, præsertim*

sertim si accedant extrinsecus figura & typi rem promissam, quotidie ob oculos ponentes & intrinsecus Spiritus S. gratia s. revelatio fidem adaugens & confirmans, de quibus adminiculis fidei agit membrum secundum & tertium pro syllogismi: iis non opus esse, dum Jesuita dicit, fidei subordinata divinitus tanquam superflua, malè tollit: eadem dum satiare desiderium fidelis non potuisse affirmat, disjuncta facit, quæ sunt ex ordinatione DEI conjuncta & subordinata. Haftenus ille.

§. 5. Nobis verò citata Maldonati verba enixius considerantibus etiam sic argumentari Jesuita videtur: Quocumque modo Abrahamus videre concupivit diem Christi, eo modo eundem etiam vidit. Atqui non sola fide, neq; per figuram, aut revelationem, sed re ipsa videre concupivit. E. non sola fide neq; per figuram aut revelationem, sed re ipsa diē Christi vidit. Majorem Jesuita inde probare nititur, quod Servator h. l. dicit: exultavit videre diem meum & vidit. Quomodo Minorem, qui bimembris vel trimembris est, probare conetur, quod sc. non sola fide, 2. non per figuram 3. nec peculiari revelatione diem Christi videre concupiverit id verba ejus §. præced. adscripta docent. At verò Respond. 1. Majoris consequentiam negando: Si enim Abrahamus diem Christi eo vidisset modo, quo illum videre concupivit, certè ad diem usque carnis Christi vel ad illa usque tempora vivere Abrahamus debuisset, quibus Christus natus, in terris conversatus, passus, mortuus & resuscitatus est, & quibus discipuli Christi, oculis ipsum corporeis videntes vixerunt. Non enim fide tantum aut figura, aut apparitione aut revelatione, sed etiam in carne ipsa Christum vel nativitatem Ejus, passionem &c. oculis videre corporeis desideravit; quod patet inter alia ex Luc. X. 24. Matth. XIII. 16. ubi Servator de multis Prophetis, Regibus & justis affirmat, quod concupiverint ipsummet oculis videre corporeis simul ac spiritualibus, quomodo sc. Apostoli ipsum viderunt. Quis vero ab hoc justorum, Prophetarū Regumq; desiderio excluderet principem

D

cipem

cipem credentium & justorum Abrahamum ? 2. Resp. per
retorsionem vel inversionem ita argumentando: Quocunqve
modo Abraham concupivit videre diem Christi, eo etiam
modo ipsum vidit: Major hæc est Maldonati. Jam subfu-
mimus contra eundẽ ejusqve socios Pontificios: atqvi non
demum post mortem in limbo constitutus ex revelatione
s. relatione aliorum s. Angelorum, sive sanctorum defun-
ctorum; sed in vivis adhuc existens, suis ipsius oculis diem
Christi h. e. nativitatem ejus, passionem &c. videre con-
cupivit. E. non demum post mortem in limbo constitutus,
ex revelatione vel relatione aliorum s. Angelorum s. san-
ctorum, sed in vivis adhuc existens suis ipsius oculis diem
Christi h. e. nativitatem ejus &c. vidit. Conclusionem cer-
tè absõnam dicent minimeq; concedent Papistæ. E. præmis-
sæ fuerint falsæ necesse est; non verò Minor: quod patet,
pauloq; antè dicta firmant. E. Major, quæ est Maldonati, fal-
sissima erit, sc. eo modo Abrahamum vidisse diem Christi,
quocunq; ipsum videre optavit. Certè enim licet Christus
dixerit, *exultasse Abrahamum ut videret diem Christi, & vidisse*;
Non tamen dicit, Abrahamum eodem planè modo vi-
disse, quo videre cupivit; sed nudè inquit, *vidisse*. Licet ergo
voti sui Abrahamus non in totum vel ita compos fuerit fa-
ctus, ut oculis simul corporeis & spiritualibus, sicut Aposto-
li, diem carnis Christi viderit, quomodo videre desideravit;
sufficit tamen vidisse in tantum & eo modo, ex quo gaudi-
um consequi adeoq; desiderium ejus satiari potuerit, sc. &
*in fide, & per figuram illustrem & in apparitione ac revelati-
one peculiari* superiùs descripta.

§. 6. Ita igitur Majori falsitatis convictâ, ad Mino-
rem respondere nihil attinet; quanquam & illa quoad o-
mnia membra à veritate abluere sic satis deprehendatur,
uti quidem ex responsione Tarnoviana innotuit. Illud ta-
men anteqvàm hinc abeamus, ad minorem notamus, Mal-
donatum ex subordinatis, *fide sc. figura & revelatione* pro-
phe-

phetica facere pugnantia, adeoque falsum esse, quod Jesuita reponit: *Abrahamo si fide certissimâ Christum viderit, nec figurâ nec revelatione peculiari opus fuisse, nec figuram aut revelationem illam desiderium ejus satiare potuisse.* Quod vero desiderii voti que sui compos, si non in totum, tamen in tantum fuerit factus, simulatque visio hæc per fidem & figuram accedente apparitione & revelatione peculiari desiderium ejus satiaverit, subsequens certè visionis hujus gaudium palam testatur. MEMBRUM IV.

exhibens,

Visionis Consequens,

§. 1. *Consequens enim vel effectum* expositæ hujus visionis fuisse gaudium, disertè h. l. Servator & quidem verbo ultimo *καὶ ἠγάπησεν* & gavisus est, profitetur. Certè enim si Abrahamus statim ac promissionem de semine benedicto accepit, *super faciem suam procidens risit* h. e. (prout Servator h. l. exponit) *ἠγαλλίασε* s. exultavit & exultando diem Christi, seminis illius benedicti, videre concupivit, non potuit non, sui hujus desiderii voti que compos, impensius lætari, summoque & ineffabili gaudio perfundi. Atque hic ipse effectus sc. gaudiū, de sua testatur causa, nempe visionis Abrahamiticæ excellentia & fructus ejusdem abundantia, adeoque desiderii Abrahamitici, per eandem visionem factâ, impletione & saturatione.

§. 2. Sed videamus gaudii hujus interpretamenta: Cornelius certè Jansenius in Tetrateucho ad h. l. *Gavisus est*, inquit, *propter beneficii prophetice prævisi magnitudinem.* Quo indicat, se Abrahamo longè majorem esse. Benedictus Arius in N. T. h. l. *Quod gaudium attinet, gavisus verè est jam in hac corporali vita: quia omnia uni DEO postposuit, argumento firmissimo, se in promissionibus non terrena sed cœlestia quædam perpendisse.* Beza in N. T. *Gavisus est*, inquit, gaudio sc. illo, quod pacem vocat Dominus, quam mundus dare non potest, infra Joh. XIV. 27. de qua Apostolus Rom. V. 1. *justifica-*

ti ex fide pacem habemus erga DEUM, per Dominum nostrum Jesum Christum. Amplius vero gaudium illud exponit Brentius noster Comment in Joh. h. l. Cum Christus dicit Abrahamum ex fide in ipsum gaudio exultasse, significat Abrahamum non solum justificatum esse, sed etiam consecutum æternam vitam per ipsum, ut etiam si visus sit suis coetaneis mori, non tamē sit mortuus, sed verè adhuc vivat, perpetuò victurus.

§. 3. Ex quibus interpretum Commentationibus elucescit, discere quidem illos verbis, re ipsa tamen inter se convenire; sc. gaudii hujus proximam s. immediatam causam esse beneficiorum seminis sc. benedicti prævisorū magnitudinem. bona cœlestia. pacem Christi, justificationem & æternam vitam. Nominatā vero proxima hęc vel immediata gaudii causa sc. justificatione (quæ ceteroqvi visionis hujus fructus & effectus est) non excluditur remota vel mediata, nempe ipsa diei Christi h. e. passionis, mortis, resurrectionis & consequenter natiuitatis ejus visio. Tenendum ergo proximum s. immediatum visionis Abrahamiticæ consequens esse fructus & benedictionis spiritualis ex hac visione intellectæ & perceptæ ubertatem sc. justificationem, pacem cum DEO & salutem in promisso Semine benedicto apprehensam. Remotum vero effectum, ex hac visione, mediante fructus ejus perceptione, manentem esse gaudium.

§. 4. Dices: Abrahamum dolere potius & flere quam gaudere debuisse, cum Messiam semen benedictū per fidem typumq; Isaac & arietis inq; revelatione vel Spiritu Prophetico affligi, mactari moriq; prævidit. Sed Resp. utrumq; & dolorem & gaudium occupasse Abrahamum, non dubitamus: dolorem quidem de ipsa passione & peccatis, quæ dolorum Christi causa; gaudium verò super satisfactione pro peccatis & benedictione, quæ in redemptione, remissione peccatorum & hereditate vitæ æternæ consistit, juxta Eph. 1. 3. 7. 11. 14. atq; ex ipsa passione, sanguine & morte Christi promanat, ibid. v. 3. Verbo: passio ipsa tristis, fructus verò passionis Christi, sc. justificatio, hilares reddit. Quod ipsum Propheta contestatur Jesaias c. LXI. 10. gaudendo gaudens in Domino & exultans in DEO suo Messia, hujusq; gaudii spiritualis, gaudii veri, æternumq; profuturi ac duraturi causam, Christi justitiam designans: cujus adeo verbis, Spiritu gaudioq; plenis, nostrum quoq; gaudium ex visione Abrahamitica intimius consideratā perceptum יהוה לכבד profiteremur, primamque hanc sectionem obfirmamus:

שׁוֹשׁ אֲשִׁישׁ בְּיְהוָה הַגֵּל נַפְשִׁי
בְּאֵלֵי יְהוָה כִּי הִלְבִּישְׁנִי נִגְדֵי יֵשׁוּעַ
סְעִיל צְדָקָה יַעֲטֵנִי

VO 17

